

lepticorum paroxysmorum fomitis & foci ( si quis inveniri humana mente potest ) summis in arte viris transcribemus, quò manum intra manicam, quod ajunt, continentes, hoc in subjecto tantum pro ingenii modulo istum rimemur, investigaturi nimirum, quare unica vice omnis illa materia epileptica non deferbuerit, sed saepius postea recruduerit. Nec praefari pudebit nos non arroganter affirmaturos, quòd genuinum & praeter quem alius dari non possit indagaverimus focum, sed cautè per Medicam noctem iter facientes circumspectores, ut praelucente qualicunque face Philosophica à lapsu saltem immunus simus, ne quid quòd implicet affirmemus, si ipsissimam metam attingere humana, & maxime nostra, imbecillitas attingere vetet.

§. 19. Ut ergo lentè incedamus, affirmare I. audemus, quòd si de fomite horum paroxysmorum quæras, hoc est, causa quacunque conservante & ad novos paroxysmos disponente, generalis causa, ipsa mentis & corporis intima conjunctio existat; at II. quòd in specie in corpore illa principaliter quærenda sit 1. quatenus inordinato, concitato & vehementissimo suo per totum corpus motu, spiritus animales vias sibi quàm plurimas, à consuetis diversas, fabricarunt, convenientes isti suæ dispositioni, quàm in primo paroxysmo habebant. Ac proinde si copiosius per illas fluant, & in eis figuram à reliqua sanguinis massa differentem induant, illam ad fermentationem primæ similem disponent. 2. quatenus in ægræ nostræ cerebro firmiter repræsentati mali idea radicata est. 3. quatenus focus materiae epilepticae in certo corporis angulo stabulantis, quærendus erit.

§. 20. Afferimus III. quòd & mens sola hunc morbum fovere & ad novos paroxysmos corporis disponere possit. 1. quatenus quacunque etiam nimia tristitia se ægra torquet, quæ hîc plurimum potest, (ut patet §. 5. & 6.) 2. quatenus in memoriam sibi revocat & saepius cogitat, de eo, quòd se adeò miseram reddidit. Hinc enim ad similes motus spiritus incitantur, & mens ab ipsis spiritibus ad easdem cogitationes, & consequenter ad eosdem motus edendos disponitur. Ita enim Natura nos formavit, ut similibus cogitationibus similes motus corporei, similibusque spirituum motibus similes cogitationes respondeant. Unde etiam si illæ cogitationes intenduntur ut ægra exhorrescat, novo paroxysmo subjugari potest: remissiori vel vehementiori, pro materiae copia & dispositione; tum prout aliæ